

Praecipua testimonia de activitate Capitulorum Generalium saeculi XII

Elenchum exhibere intendimus factorum et actuum, quae inde ab exordio instituti Capitulorum generalium usque ad tempus definitivae approbationis pontificiae ab Alexandro III obtentae, auctoritate prodierunt Capitulorum et de quibus, deficiente qualibet actorum capitularium collectione, testimonia, ad minus indirecta, ex fontibus plus minusve fide dignis, non sine labore, colligere quivimus.

Notamus in primis, hic solummodo de enumeratione potius agi factorum, in variis fontibus, saepe tardioris originis, relatorum. Acta enim et documenta a Capitulis directe emanata admodum pauca sunt et rarissime ex hac periodo ad nos pervenerunt. Statuta capitularia, praeter duas redactiones (*SW* et *SMA*), supra iterum iterumque citatas, nullibi asservata invenimus.

Nec elenchum inferius proferendum iudicamus undequaue completum; complura alia testimonia in fontibus praesertim mss. latere possunt. Quidquid vero, durantibus nostris investigationibus, nobis occurrerunt, tamquam primum tentamen huiusmodi generis, in ordine rerum potius quam temporis dispositum, indicatis fontibus, summario modo referre utile iudicamus.

Testimonia illa extantia nobis nota, in tres — ratione originis — distinguere licet species:

1. Testimonia indirecta Capitulum proxime respicientia;
2. Acta et documenta Capitularia;
3. Documenta pontificia quae decisionem quamdam praesumunt Capitulorum generalium.

I. — Testimonia indirecta

Charta donationis a. 1138, intuitu Capituli generalis factae.

Primae speciei testimonium in *Charta* invenimus *Bartholomaei*,

episcopi Laudunensis, a. 1138, indubii valoris ¹⁾, qua donatio confirmatur quorundam reddituum, quos Ingelrammus de Marla cum suis parentibus, ecclesiae contulit Praemonstratensi sub modo, ut ad sumptus inserviant *annuorum colloquiorum coabbatum*, apud dictum locum celebrandorum.

Iuxta tenorem Chartae, colloquium coabbatum, in recompensationem pietatis donatorum, suffragia in singulis ecclesiis Ordinis persolvenda constituit, fratribus uniuscuiusque ecclesiae dari solita, et anniversarium in perpetuum celebrandum.

Redditus sic constituti iam in bulla *Iustis votis*, Innocentii II, 21 dec. 1138, inter possessiones enumerantur Praemonstrati ²⁾.

Donationis eiusdem destinationis meminit C. L. HUGO, qua Hannapia, per Albertum militem et uxorem eius Melesindam, Praemonstrato oblata est, absque tamen indicatione fontis suae notitiae ³⁾. Nec apud C. TAIÉE ullum invenimus vestigium huiusmodi donationis ⁴⁾, sicut nec donationis, cuius memoriam *L'Obituaire de l'abbaye de Prémontré* hoc modo asservat : « Commemoratio Godefridi, civis Coloniensis, qui dimisit Capitulo generali sex solidos sterlingorum solvendos singulis annis in festo beati Dionysii » ⁵⁾.

Huiusmodi donationum finem, Annalista Ordinis, C. L. HUGO, in eo videt « ne paupertas monasterii arceret capitulantes a congressu, aut gravia convenientibus essent capitula, si fraternam hospitalitatem, ut in taberna, pretio emerent capitulantes » ⁶⁾.

II. — Acta et documenta Capitularia

1. *Statutum a. cir. 1137-1141 de abolitione monasteriorum duplicium.*

Primum inter decreta ordinis gubernativi, plures historiam Ordinis cultores statutum referunt, quod iam Capitulum generale a. 1137-

¹⁾ Ed. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, p. 423; C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. XI, collat. cum *Tabula donationum Praemonstrato aa. 1128-1220 factarum* (cfr. Ch. TAIÉE, *Prémontré*, Laon, 1872, I, p. 162, sub nomine Emnolani, filii Thomae de Marla).

²⁾ Ed. LEPAIGE, l. c., p. 426.

³⁾ Cfr. C. L. HUGO, l. c., III, ms. f° 203.

⁴⁾ Cfr. C. TAIÉE, l. c., I, p. 161 ss. et 200 ss.

⁵⁾ Cfr. J. EVERS, in *An. Praem.*, II, 1926, p. 89.

⁶⁾ Cfr. C. L. HUGO, l. c., III, ms. f° 203.

1138 definivisset, quo omnia proscripta fuerint monasteria duplicia Ordinis, religiosorum scilicet virorum et mulierum intra septa eiusdem monasterii conviventia.

Nonnulli etiam tempus determinatum scire velint praedictae decisionis ¹⁾; nullum tamen producunt documentum, in quo textus conservatus fuisset statuti, vel indicant fontem e quo directe constaret de praeciso tenore ipsius.

C. L. HUGO, praeter tenorem definitionis, etiam numerum 40 Praelatorum Ordinis rescire praesumit, qui apud Praemonstratum convenientes, « uno omnium concentu, Sanctimonialia a vicinio claustrorum et monasteriorum ambitu amovendas esse sanciverint; non ut praesenti occurrerent malo, quod ne suspicari quidem stricta utriusque sexus religio patiebatur, sed ut futurum, aut futuri mali suspicionem, occasionemque scandali praeverterent, quod proximitas dare posset infirmis, aut malignantibus subministrare » ²⁾.

Nec deest qui etiam de approbatione pontificia decreti loquitur, quin fontem indicet suae informationis ³⁾. Nollemus credere Auctorem facta simpliciter confudisse, et approbationem expressam ab Innocentio III obtentam statuti eiusdem argumenti, sed versus finem saeculi definiti, erronee Innocentio II tribuisse.

His omnibus multo maiorem merentur fidem, qui admittentes defectum documenti directi, etiam quoad tempus modestiores manent, existentiam unice affirmantes cuiusdam decreti Capitularis, a. 1141 anterioris ⁴⁾, ex quo anno revera documentum quoddam habemus, vigore cuius, vetitum quoddam commune Capituli, circa

¹⁾ Cfr. U. BERLIÈRE, *Philippe de Harvengt*, in *Rev. Bénéd.*, IX, 1892, p. 132; C. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia*, I, p. VII; E. DE MEULEMEESTER, *Les sœurs Norbertines de Tusschenbeek*, in *An. Praem.*, IV, 1928, p. 31; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 9 s., Capitulo generali a. 1137 praedictum decretum adscribit. Pro a. 1138 militat B. GRASSL, *Der Praemonstratenserorden*, in *An. Praem.*, X, 1943, ed. textus, p. 17; G. SCHREIBER, *Religiöse Verbände*, in *Histor. Jahrbuch*, LXVIII, 1949, p. 344 s.). Ex antiquioribus C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 7 (*ibid.*, col. 391, a. 1140) et *Gallia Christiana* (IX, col. 644, ed. 1751), annum urgent 1141.

²⁾ C. L. HUGO, l. c., III, ms. f° 204 ad a. 1138.

³⁾ Cfr. B. GRASSL, l. c., p. 17.

⁴⁾ Cfr. H. LAMY, *L'abbaye de Tongerlo depuis sa fondation jusqu'en 1263*, Louvain, 1914, p. 97; A. ERENS, *Les sœurs dans l'Ordre de Prémontré*, in *An. Praem.*, V, 1929, p. 8; DE MEULEMEESTER, *La vie conventuelle à Tusschenbeek*, in *An. Praem.*, IV, 1928, p. 242, nota 3.

conviventiam religiosorum utriusque sexus intra septa eiusdem monasterii, adfuisse praesumi licite potest.

Reapse, diploma Bartholomaei, Laudunensis episcopi, a. 1141, quod donationem confirmat fratribus Praemonstratensibus factam, in narratione, factum refert translationis sororum e monasterio Praemonstratensi ad monasterium apud *Fontenellam*, a praedicto Episcopo ad usum sororum constructum et dotatum. Diploma nullius meminit statuti Capituli; factum tamen separationis et translationis sororum, quod diploma expresse Hugoni adscribit, abbati Praemonstrati⁵⁾, merito conici potest tamquam executio cuiusdam ordinationis communi consilio abbatum conditae.

Testimonium magis explicitum de existentia cuiusdam statuti Capituli generalis in materia — forsitan unicum pro nobis indubii valoris, hucusque ab Auctoribus neglectum — Charta quaedam constituit, qua Radulphus transmigrationi consentit sanctimonialium a loco *Rosières* ad *Bonolium*⁶⁾. Charta in editione allata non datatur. Annum 1178 alibi indicatum⁷⁾, vix crederemus omnino certum.

Scimus enim aliunde, sorores de Praemonstrato ad villam prius prope *Fontenellam* migrasse a. 1141⁸⁾ et ante a. 1149 iam *Bonolii* eas definitive inveniri⁹⁾. Interea apud *Rosières* certe commorari debuerunt. Consequenter, etiam Chartam ante a. 1148 datari oportere vel saltem admittendum factum, de quo Charta testatur, circa hoc tempus adventum fuisse.

Statim addimus, tenorem quod attinet, testimonium Chartae stricte ad statutum referri, probabiliter Capituli generalis, certe Hugonis et quorundam abbatum, communi consilio deliberati, quo sorores *tantum* de Praemonstrato ad alium transferendae erant lo-

⁵⁾ « ... visum est Hugoni, sorores suas quae in eadem valle (Praemonstratensi) penes se morabantur, veluti nimis sibi propinquas, remove et ad Deo serviendum longinquius relocare » (Charta Bartholomaei, a. 1141, ed. LEPAIGE, l. c., p. 422).

⁶⁾ « Ego Radulphus... Notum facio... me permississe... Hugoni abbati Praemonstrati... quod Sororibus, quas de loco qui *Rosières* dicitur, transmigrare fecerunt, causa, ut aserunt, honestatis et pacis, non inquietabo voluntatem eorum... nec ipsas nec alias illuc reduci faciemus ad inhabitandum; sed stabimus inde consilio et voluntati praefati abbatis, et aliorum abbatum, qui communi deliberatione statuerunt, ut inde transmigrarent » (Charta Radulphi, ed. C. L. HUGO, l. c., Prob., col. CCCXIX).

⁷⁾ Cfr. C. L. HUGO, l. c., I, col. 391.

⁸⁾ Cfr. Charta Bartholomaei, a. 1141 (ed. LEPAIGE, l. c., p. 422).

⁹⁾ Cfr. C. L. HUGO, l. c., I, col. 392.

cum, et non ad statutum generale de abolitione sororum conversarum in toto Ordine, vel monasteriorum duplicium, uti praedicti Auctores praetendunt.

Existentiam nihilominus cuiusdam statuti Capituli generalis, codificatione a. 1170-1174 anterioris, nihil melius probare videtur, quam suppressio in *SMa* capitulum *SW*, quae de sororibus tractant conversis, et quae post suppressionem earum, revera, in textu Statutorum non potuerunt cohaerenter amplius locum habere ¹⁰⁾.

Sic consilium s. Bernardi in epistola 79 ad Lucam, abbatem Cuissiaci, a. circ. 1130, circa lapsum cuiusdam religiosi, quod sequelam instituti monasterii duplicis pro substrato habuisse supponit ¹¹⁾, manifeste probat praedictum institutum nec initio fervoris primorum sequacium Norberti penitus defecisse.

Cuissiacum revera ab initio monasterium duplex, non multo post a. 1131 ¹²⁾, certe ante a. 1145 ¹³⁾ deduplicatum est, forsitan non sine impulsu ipsius scandali iam existentis et cum desiderio similibus casibus praeveniendi.

Aliunde constat, sub impulsu continui periculi ¹⁴⁾, processum separationis monasteriorum duplicium cito incepisse, certe iam ante periodum, qua praesumptum statutum de abolitione ipsorum ortum fuerit.

Ex altera parte iam a. 1136 Chartam habemus, in qua Simon, episcopus Tornacensis, concessionem ratam habet cuiusdam proprietatis abbati s. Martini Laudunensis, eo fine factam, ut inibi (*Petegem*) « religiosae mulieres sub obedientia et dispositione abbatis de Salegem (futuræ abbatiæ Trunchiniensis) Deo famulentur » ¹⁵⁾. Certe, ut iure observat M. DE MEULEMEESTER, hic non agi

¹⁰⁾ Vide cc. 74-82 *SW*, pp. 63-66, collat. cum Dist. IV *SMa* (ed. MARTÈNE), col. 920 ss.

¹¹⁾ Ed. *Patrol. Lat.*, CLXXXII, coll. 199 ss.

¹²⁾ Gerigniaci donatio iam a. 1131 confirmatur (cfr. Charta Rainaldi, Remensis Archiep., ed. C. L. HUGO, l. c., I, Prob., col. DCII).

¹³⁾ Cfr. Charta Sampsonis, Remens. archiepis., a. 1145 (ed. *ibid.*, col. DXCIII), quae iteratim de sororibus loquitur apud Gerigniacum.

¹⁴⁾ Vide anxietates animi abbatis Oderamni, in casu admissionis sororum de Bony (apud C. L. HUGO, l. c., II, col. 125 s.), quibus non obstantibus, monasterium duplex de Bony, anno adhuc 1137, Ordini aggregatum est; licet, paulo post, viri religiosi ad Montem s. Martini translati fuerint (cfr. Charta Nicolai, Cameracens. ep., a. 1137 pro Monte s. Martini, ed. C. L. HUGO, l. c., II, Prob., col. CLVII).

¹⁵⁾ Ed. C. L. HUGO, l. c., II, Prob., col. DCIII. Aliae notitiae valorem admi-

de fundatione cuiusdam monasterii duplicis, sed de fundatione duorum monasteriorum, virorum ac mulierum, debito modo separatim, quamvis sub communi iurisdictione eiusdem abbatis unitorum ¹⁶⁾.

Monasterium s. Martini Laudunensis, a. 1130 allodium obtinet de *Diona* ad opus religiosarum mulierum sub illius obedientia Deo famulantium. Fundatio iam a. 1135 confirmatur ¹⁷⁾.

Exinde multiplicantur exempla fundationum monasteriorum separatim pro sororibus Ordinis quorum maxima quidem pars ex translatione ortum habet sororum e monasteriis duplicibus ¹⁸⁾, non defuerunt tamen parthenones, ubi sorores conversae, in pluribus tardius sorores cantantes, sub iurisdictione abbatis respectivi monasterii virorum, plane etiam quoad locum, inde ab initiis fundationis, separatim vitam monasticam duxerunt plus minusve autonomam ¹⁹⁾.

SW (orig. aa. 1131-1134) utrumque casum prae oculis habent pertinentiae sororum ad monasteria virorum. Inveniuntur enim in iis praescripta, et haec videntur praevalere adhuc, quae vitam sororum conversarum in systemate contemplantur monasteriorum duplicium. Sic, praeter alia ²⁰⁾, praescriptum pro sororibus psalmos submissa voce recitandi usque dum patres in choro cantaverint ²¹⁾, conviventiam duarum communitatum intra septa eiusdem monasterii, vel saltem praesentiam conventuum fratrum et sororum in eadem ecclesia abbatiali, supponit. Permittunt nihilominus pro singulis abbatiis unum recipere altare, ubi sororum claustrum aedificare licet ²²⁾.

nuculi habere possunt pro existentia cuiusdam statuti in materia, a Capitulo generali prodita.

¹⁶⁾ Cfr. E. DE MEULEMEESTER, *Les sœurs norbertines de Tusschenbeek*, in *An. Praem.*, IV, 1928, p. 31.

¹⁷⁾ Cfr. Charta Rainaldi, archiep. Remensis, a. 1135 (ed. C. L. HUGO, l. c., I, Prob., col. CCCCCXIII).

¹⁸⁾ Sic, praeter parthenones am memoratos de Bonolio (a. 1141-1148 apud Fontenellam et Rosières) et Gêrigny (1131-1145); Caumont (1131-1134), de Buris (1136), Nieuwenrode (1133-1139), Crecy (1137), Bony (1137), Bertricourt (1139), Rueyres (1140), Rivreulle (1140), Burk (1142), S. Crux iuxta Dormens (1142), Bethlenrode (1144), Lochgarten (1146), Füssenich (prius in Rammersdorf, a. 1147) (Cfr. BACKMUND, *Monasticon*, I-II).

¹⁹⁾ Praeter *Diona* et Petegem, Marienroth (1131), Dorenc (1140), Rekem (1140), Domus Dominarum (1141), Dünwald (1143), Nanteuil (1142), Plaimont (1142), Doksany (1143), Serskamp (1147). Cfr. BACKMUND, l. c.

²⁰⁾ Cfr. cap. 75 et 78 *SW*, p. 64 s.

²¹⁾ Cfr. cap. 79 *SW*, p. 66.

²²⁾ Cfr. cap. 43 *SW*, p. 45.

Haec omnia ostendunt, praeter institutum monasterii duplicis, etiam formam monasteriorum separatorum pro mulieribus Ordinis, iam ante praesumptum statutum Capituli generalis, iure receptum fuisse ita ut conspectus monasteriorum monialium, quantumvis lacunis plenus, sat fideliter cohaereat praescriptionibus SW, et non posse quaestionem secundi Ordinis ad monasteria reduci duplicia ante a. 1141, et ad monasteria separata postea.

Nolumus tamen praesentiam negare novi cuiusdam factoris, qui, tamquam ratio communis, optime explicat mutationes, in casibus tam numerosis, locis tam diversis et tempore — uti anni foundationum indicant — tam vicino ad tempus praesumpti statuti, circa erectionem monasteriorum separatorum mulierum simul adventas. Ideo praesumptio cuiusdam statuti valoris generalis de abolitione monasteriorum duplicium, ad cuius, ceterum, introductionem et applicationem, Capitulum generale, vetito quoque coaevo Concilii Lateranensis II optime moveri potuit ²³⁾, apparet sat legitima.

Praesumpti illius statuti tenorem velimus, eius penitus determinare, censemus in ipso non agi de suppressione totali sororum in Ordine, sed de praecepto quodam prudentiali, quo sorores conversae, sive mulieres quomodolibet monasteriis virorum adiunctae, prohiberentur admitti pro futuro, et nonnisi in monasteriis separatis.

Si contra talem interpretationem tenoris statuti praesumpti, plures obiici possunt exceptiones, certe non valet illa obiectio, quae supraviventiam plurium monasteriorum duplicium usque ad tardiorum aetatem, ex ineffacia vindicat statuti praesumpti, pro debilitate arguens auctoritatis ipsius Capituli generalis in executione propriorum decretorum, in genere, et statuti tanti momenti pro bona fama Ordinis, in specie.

Redargui enim potest, et non minore iure, monasteria, ante omnia, duplicia stricte sumpta, non fuisse tam numerosa quae supravixerunt, ac Auctores non pauci asserunt, arguentes ex indistincto conceptu monasterii duplicis. Illi enim quamlibet formam pertinentiae parthenonum ad monasterium virorum comprehendunt sub figura monasterii duplicis, etiamsi ageretur dumtaxat de vinculo auctoritatis communis abbatis, quinimmo de communione tantummodo gratiarum spiritualium.

²³⁾ « Simili modo prohibemus, ne sanctimoniales simul cum canonicis vel monachis in ecclesia in uno choro convenient ad psallendum » (c. 27 apud MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, XXI, col. 553).

2. Statutum aa. 1170-1174 de non-receptione sororum.

Dubia moveri posse de existentia et magis, de tenore statuti aa. 1137-1141 de omnimoda abolitione monasteriorum duplicium, potissimum sequitur e quodam statuto originis multo posterioris, in appendice *SMa* asservati ²⁴⁾.

Statutum istud incerti est quidem *temporis*, sed certo, saltem in forma qua asservatum est, aa. 1170-1174 non anterioris, prout ipsa appositio in fine illorum Statutorum manifestam additionem tardiorum ipsius probat.

Verum quidem est nos habere litteras quasdam pontificias ²⁵⁾, unicum documentum in materia hucusque notum, quod videtur antea tempore redactionis *SMa*, et quod vetitum quoddam Capituli generalis Praemonstratensis expresse invocatur, quod facile ad statutum potius a. 1137-1141 quam ad statutum post a. 1170-1174 conditum, referri posset. Diversa tamen datatio documenti pontificii quam in editionibus invenimus, deficiente holographo, nos dubios relinquit, de quonam statuto revera agatur. Magis certa datatione admissa a JAFFE-LOEWENFELD, necnon tenore considerato ipsius documenti ²⁶⁾, videtur magis ad statutum alludi post approbationem *SMa* definitum et, tamquam ulterior ordinatio Capituli generalis, ad calcem *SMa* adscriptum.

Valde probabiliter proinde, hoc statutum post a. 1177 ortum est. Illud tamen tamquam renovatio considerari potest statuti cuiusdam anterioris, sicuti etiam statutum a. 1137-1141; allusiones litterarum

²⁴⁾ « Quoniam instant tempora periculosa, et ecclesia supra modum gravatur, communi consilio capituli statuimus ut amodo nullam sororem recipiamus. Si quis autem huius statuti transgressor extiterit, abbatia sua sine misericordia privetur ». *SMa*, col. 925 s.

²⁵⁾ « *Ex parte Godefridi* » Alexandri III, 18 mart. 1178 (Thenailles) (ed. C. L. HUGO, l. c., II, Prob., col. DLXXVII. — C. L. HUGO a. attribuit 1176; alibi eas ascribit a. 1160 (cfr. l. c., col. 539).

²⁶⁾ Litterae casum referunt, quo miles quidam numerosa prole gravatus, filiam renitentem parthenoni Colmontensi intrusit. Abbas loci consuluit Ordinis abbates, qui filiam ad domum patris remittendam statuerunt. Sic prosequuntur: « *quod etiam de communi consilio generalis Capituli fuit definitum, ne praeceptum Ordinis, quo interdicta fuerat recipiendi licentia, frangeretur, et ne vicini abbatae divites et potentes exempla simili filias suas intrudere praesumerent,...* mandamus, quatenus... generalis Capituli institutionem, tam de muliere illa quam de aliis, appellatione remota faciatis inviolabiliter observari » (*Ex parte Godefridi*, ed. C. L. HUGO, l. c.).

Cum a nobis petitur Innocentii III, 13 maii 1198 ²⁷⁾ non solum hoc non excludunt, sed etiam aliquatenus commendant. Reapse narratio praedictarum litterarum Innocentii III, tum ad decretum in *SMA* asservatum, tum ad statutum a. 1137-1141 referri debere videtur ²⁸⁾. Certum tamen est confirmationem pontificiam decretum Capituli generalis a. 1177 posterius directe affecisse ²⁹⁾.

Omnibus perpensis videtur nobis pro certo haberi posse existentiam cuiusdam statuti Capituli generalis, probabiliter inter annos 1137-1141, primo vice definiti, et postea, a variis Capitulis generalibus, post medietatem saeculi XII, saepe renovati. — Certum videtur, Hugonem, abbatem Praemonstrati, a. 1141, sorores conversas ex ipso monasterio Praemonstrati ad locum magis distantem transtulisse prope villam *Fontenellae*; iuxta plures historiographos Ordinis, hoc

²⁷⁾ Ed. LEPAIGE, l. c., p. 644. — Accusationem, quam C. L. HUGO, *Sacrae Antiquitatis monumenta*, I, Stivagii, 1725, 97, sub nota b movit contra LEPAIGE, ac si absolutum decretum pontificium de non recipiendis sororibus ignorasset, vel tenorem decreti eo sensu mutavisset quod sorores *tantum in idem contubernium cum viris non recipiendas* limitaret, non possumus sustinere. Nam constat LEPAIGE approbationem pontificiam decreti capitularis et novisse, et eam recte interpretasse (Cfr. *Bibliotheca Praem. Ord.*, p. 644 et 354). Allusio vera GERVASII, in *Epis. CVIII* (ed. *Sacrae Ant. Monum.*, I, p. 226), ad privilegium de non recipiendis sororibus, ad litteras *Cum a nobis*, Innocentii III, absque dubio refertur, praeter quas, nec HUGO aliud privilegium apostolicum se novisse probat. In his vero Litteris Innocentii III, de absoluta prohibitionem recipiendi sorores, *etiam extra contubernium cum viris* — in parthenonibus videlicet separatis — si bene intelleximus rescriptum *Cum a nobis*, nullus habetur sermo.

²⁸⁾ « Significastis siquidem nobis... Olim in communi Capitulo statuistis, et postmodum sub interminatione gravis poenae *saepius innovastis*, ut nullam de cetero teneamini in sororem recipere vel conversam. Praesertim cum ex hoc aliquando incommoda fueritis multa perpassi. Nos igitur institutionem ipsam sicut de communi consilio abbatum ad commune Capitulum convenientium pvide facta fuit et recepta, autoritate Apostolica confirmamus » (*Cum a nobis*, ed. LEPAIGE, l. c., p. 644).

²⁹⁾ Novimus bullam quamdam, in qua praeceptum datur similis tenoris, absque tamen ulla mentione de quodam statuto Capituli generalis: « Ad hec autem ob decorem domus Domini districtius inhibemus, ut nullam umquam feminam recipiatis *amodo* in sororem, sed illis que supersunt ex hac vita migrantibus, ecclesia vestra, sicut a nobis noscitur institutum, a tanto remaneat onere absoluta. Si vero prelatus earum, ampliandae religionis intuitu, ad alium religiosum locum eas transferre voluerit, contradictione alicuius nequaquam obstante, de indulgentia nostra liberam habeat transferendi facultatem (*Religiosam vitam*, Lucii III, 18 nov. 1181). Ed. H. FINKE, *De Papsturkunden Westfalens, bis zum Jahre 1378*, in *Westfälisches Urkundenbuch*, V/1, Münster, 1888, p. 50, n° 132.

factum est in executionem decisionis, communi consilio abbatum, latae de suppressione monasteriorum duplicium. Cetera omnia circa existentiam, tempus, tenorem, executionem et traditionem praesumpti statuti, coniecturae sunt, quas ceteri multiplices casus separationis et translationis sororum e monasteriis duplicibus, inter aa. 1137-1141 simul adventae, commendant quidem, sed e documentis directe probari nequeunt.

Plura certe habentur de statuto inter aa. 1177-1198 a Capitulo generali definito et ab Innocentio III a. 1198 confirmato, cuius textus in statuto asservatur in *SMa* in appendice adiecto, quod receptionem sororum conversarum in contubernium cum viris, systema videlicet monasterii duplicis sensu stricto sumpti, prohibuit pro futuro, iura tamen acquisita intacta toleraverit, pertinentiam vero parthenonum separatorum ad monasteria virorum, vinculo auctoritatis communis abbatis vel communione gratiarum spiritualium fundatam, vel denique curam spiritualem monialium ex parte abbatiarum virorum iam admissam, legitimam retinuit.

3. *Statutum a. 1139 de obligatione professorum Ordinis ad dignitatem episcopalem promotorum.*

Statutum e *Chartulario Praemonstratensi* his terminis refert C. L. HUGO : « anno 1139 stante Capitulo generali et Hugone instante, manavit statutum quo praecipitur episcopis ex ordine nostro assumptis nec non canonicis ordinem profitentibus et in eorum ecclesiis Deo servientibus, ut constitutiones nostras teneant tam in vestitu quam in victu, tam in ieiuniis, quam in penso horarum, nec a b. Augustini regula umquam devient » ³⁰⁾.

Decisionem Capituli, iuxta C. L. HUGO, transitus episcopatum ad Ordinem una cum canonicis postulaverit, sicut in casu Olomucensis, Brandenburgensis, Havelbergensis et Raceburgensis.

De episcopatu tamen *Olomucensi* scimus, incipiendo a reditu Henrici Zdik a Terra Sancta aa. circ. 1138-1139, usque ad a. 1201, canonicos Ordinis ibidem sedem habuisse, numquam tamen fuisse ibi capitulum cathedrale Praemonstratensium ³¹⁾.

Praepositura *Brandenburgensis*, a. 1138 fundata, ab a. 1161

³⁰⁾ C. L. HUGO, *Annales*, III, ms., addit. ad f° 216. — Fontes quod attinet, nescimus an agatur de *Le cartulaire* (inédit) de l'abbaye de Prémontré, ms. n° 7 Bibli. Soissons, saec. XIII.

³¹⁾ Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 327.

facta est ecclesia cathedralis. Sedes episcopalis dioecesis Brandenburgensis interim in Leitzkau fuit, altera praepositura Ordinis. Primus episcopus, alumnus Ordinis, praepositus Wigger fuit ab aa. 1138-1159 ³²⁾.

Episcopatus *Havelbergensis*, a. 1144 denuo erectus, capitulum regulare Praemonstratensis Ordinis sibi adiunctum habuit cum primo Episcopo alumno Ordinis, Anselmo (1144-1145) ³³⁾.

Ecclesia cathedralis *Ratzeburgensis*, a. 1154 fundata, primum Episcopum simul et praepositum ex Ordine, s. Evermodum habuit (aa. 1154-1178) ³⁴⁾.

Notitia ergo a Hugo relata nullo laborat anachronismo quoad primos, nec in posterum pro aliis episcopatibus posterioris originis. Ceterum, statutum coevum similis tenoris etiam inter *Instituta Gen. Cap. apud Cistercium invenimus* ³⁵⁾.

4. *Responsum Cap. Gen. Praem., a. 1141 ad litteras Petri, abbatis Cluniacensis, a. 1140.*

Litterae Capituli generalis primum verum instrumentum est, sedente Capitulo confectum et sigillo munitum ³⁶⁾, quod ad nos pervenit. Proh dolor! de holographo nullibi mentionem invenimus ³⁷⁾.

Tenore huius documenti, foedus quoddam institutum est, indolis spiritualis, de reciproca communicatione orationum aliorumque bonorum spiritualium, cum quibusdam oneribus Missarum, pro defunctis fratribus mutuo susceptis.

Licet ex tenore litterarum non constet, ex notiis a historiographis relatis sciri potest, pactum acribus controversiis finem apposuisse, quae pacem admodum turbaverunt inter duos Ordines ³⁸⁾.

³²⁾ Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 215.

³³⁾ Cfr. *ibid.*, p. 223.

³⁴⁾ *Ibid.*, p. 241.

³⁵⁾ « Episcopi assumpti de ordine nostro consuetudinem nostram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observantia ieiuniorum, in officio horarum regularium » (Stat. XXIII, De episcopis ordinis nostri, ed. J. TURK, in *Anal. S. Ord. Cisterc.*, IV, 1948, p. 25. Etiam J. CANIVEZ, *Statuta Capitulum Generalium Ordinis Cisterciensis*, Lovanii, 1933 ss., I, p. 27, Stat. LXI).

³⁶⁾ Primum testimonium de usu sigilli Capituli generalis.

³⁷⁾ Ed. LEPAIGE, l. c., p. 321.

³⁸⁾ Relate ad controversiam inter Petrum, abbatem Cluniacensem, et Milonem Tarvanensem (1131-1158), circa reformationem monasterii s. Bertini, O. S. B.,

5. *Pactum « societatis et confederationis » cum Cisterciensibus a. 1142 initum et a. 1153 renovatum.*

1) Pactum, indolis magis iuridicae, praeter mutuam obligationem debitae commemorationis fratrum defunctorum, nonnullas conventiones continet ordinis temporalis, quae vivum interesse tuebantur utriusque Ordinis ³⁹⁾.

Necessitatem ad mutuam perveniendi pacem, sat vivaces alternationes, fere per decennium, praecedebant, quarum termini generales ex Epist. PHILIPPI DE HARVENGT ⁴⁰⁾ constant. Omnes et singulae circumstantiae concretae controversiae tamen ex illo documento non clare constant. Ex tenore ipsius documenti merito coniecimus, mentem paciscentium fuisse finem imponere controversiis, quibus utroque Ordine ad culmen vergente suae expansionis, admissio alumnorum praesertim et erectio novorum monasteriorum facile originem dare potuerint.

Iuxta documentum, duo sunt paciscentes : Raynaldus, abbas Cistercii et Hugo, abbas Praemonstrati ; uterque nomine et consensu Capituli generalis sui Ordinis. Inter subscribentes, signa invenimus trium primorum coabbatum Cisterciensium, Firmitatis scilicet, Clarae-Vallis (signum Bernardi) et Pontiniaci ; ex parte vero Praemonstratensium, s. Martini Laudunensis, Floreffensis — duorum ex quatuor primis abbatibus posterioris temporis — et Vivariensis ⁴¹⁾.

Primo articulo conventionis, susceptio moderatur alumnorum, quo mutuo consensu constituitur, neutrum Ordinem alumnus — professum vel novitium, etiam conversum — alterius Ordinis, nisi ex

cfr. J. LEPAIGE, l. c., p. 460 et G. MADELAINE, *Histoire de s. Norbert*, Tongerlo, 1928, II, p. 55. — Ad controversiam, ratione transitus abbatiae s. Pauli Viridunensis a. 1131 ad Praemonstratenses, alludit etiam bulla *Cum omnibus*, Innocentii II, 24 apr. 1136 (ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CCXXVIII). Cfr. etiam G. MADELAINE, l. c., II, p. 91 s.

³⁹⁾ Ed. J. LEPAIGE, l. c., p. 322 ss. — C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f° 241 apographum quemdam asservat pacti 1142. Novissime ed. J. CANIVEZ, l. c., I, p. 35 s. — Originale asservatur in archivo publ. regionis Hte-Marne, Série H, fonds de l'abbaye de La Chapelle-aux-Planches (O. Praem.).

⁴⁰⁾ Epist. X ad (s.) Bernardum, a. 1147, ed. *Patrol. Lat.*, CCIII, coll. 77-85.

⁴¹⁾ Tunc temporis forsan Viviers, tamquam tempore foundationis antiquior (a. 1121-1124), locum tenuit Cuissiaci, foundatione posterioris (a. circ. 1122, affiliati, a. circ. 1130).

⁴²⁾ Iuxta privilegium pontificium *Quemadmodum ea*, Innocentii II, 21 mart.

pari consensu, recipere ⁴²⁾. Dum privilegia papalia utriusque Ordinis solemnitates ad transitum requisiverunt professorum tantummodo, pactum etiam ad novitios et conversos easdem explicite extendit.

Quod Mendicantes saeculo sequenti, privilegio « cannarum » obtinere curarunt, Cistercienses et Praemonstratenses, secundo articulo conventionis pro se ipsis tuiti sunt, distantiam praecise determinantes inter nova monasteria erigenda. Sic inter abbatias quatuor, inter abbatias et parthenones duarum, abbatias inter et grangias vel grangiam et grangiam unius leucae distantia intercedat oportuit, iuxta mensuram cuiuscumque provinciae computandam.

Quoad hunc terminum, quamvis in posterum hinc inde moverentur querelae, pactum videtur generatim observatum fuisse ⁴³⁾.

Mutua cessio decimarum, concurrentia in emendis rebus vendendisque vitanda, mutua denique recognitio Capituli generalis tamquam fori competentis pro iudicandis controversiis, totidem sunt articuli ordinis economico-iudicialis conventionis ⁴⁴⁾.

2) Documentum a. 1153 redactum, confirmatio est « compositionis et societatis » inter utrumque Ordinem olim firmatae ⁴⁵⁾.

Relate ad praecedentes eventus historicos documenti, *Statuta Capit. General. O. Cist.*, ad a. 1150, haec referunt :

« Pax inter Cistercienses et Praemonstratenses turbata. Praemonstratenses, inter quos, Philippus abbas Bonae-Spei, et alii plures et graviores, quin ipse pastor et pater totius ordinis, amaras litteras

1138 (ed. LEPAIGE, l. c., p. 421), et *Non videtur*, eiusdem 29 dec. 1138 (ed. *ibid.*, p. 421), hic agitur de licentia proprii praelati, de consensu capituli localis concedenda, et non Capituli generalis, ut Fr. PETIT, *Bernard et l'Ordre de Prémontré*, in *Bernard de Clairvaux*, Parisiis, 1953, p. 299) asserit, erronea interpretatione fundatus terminorum « communis congregationis », « communium litterarum ». Nos tram interpretationem, inter alia, etiam privilegia confirmant *Quotiens illud*, Innocentii II, 15 ian. 1142 (ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. DCXLIII) et *Desiderium quod*, Eugenii III, 23 dec. 1146 (ed. *ibid.*, col. DCCXXIV).

⁴³⁾ Sic, ex. gr., de Helino, abbate Floreffensi, a. adhuc 1213 legimus, ipsum permisisse monialibus Vallis-Dominae, O. Cist., ut in monasterio commorentur, non obstante proximitate parthenonis Praem. de Wanze, iuxta vigorem concordati a. 1142 (cfr. J.-V. BARBIER, *Cartulaire de l'abbaye de Floreffe* (1121-1255), in *Analectes pour servir...*, 2^e série, I, 1881, p. 43).

⁴⁴⁾ Vide textum conventionis apud J. LEPAIGE, l. c., p. 322 s.

⁴⁵⁾ Ed. LEPAIGE, l. c., p. 323. — Non invenitur apud J. CANIVEZ, *Statuta Cap. Gen. O. Cist.*, I. — C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 418, observat « plures istius concordiae copias in membranis, antiquitate venerabilibus, legi, antiquissimam vidi in Lieu Restauré ».

scripserunt rumpentes foedus, vel rumpendum comminantes, nisi multa per nostros emendarentur. Haec epistola ad Capitulum deleta, perlectaque, ad Bernardum remissa qui responderet » ⁴⁶⁾.

Termini controversiae in Epist. X ad (s.) Bernardum (a. circ. 1147) et Epist. XII ad Eugenium papam III (ante a. 1152) PHILIPPI DE HARVENGT ⁴⁷⁾, et Epistola 253 (s.) BERNARDI ad Hugonem, abbatem de Praemonstrato, a. 1150 ⁴⁸⁾ exponuntur a variis historiam cultoribus ⁴⁹⁾.

Litterae Hugonis ad nos non pervenerunt, ipsas tamen revera scriptas fuisse, probabiliter aa. 1149-1150, in Capitulo quodam Generali Praemonstratensium, ex *Statutis Capit. Generalis Ord. Cisterc.*, a. 1150, modo citatis, certum habemus, tenoremque ipsius ex dicto statuto et responso s. Bernardi (Epist. 253) deducere possumus.

Inter gravamina ex parte Praemonstratensium perpessa graviora citanda est controversia circa « irregularem » admissionem Roberti, professi abbatiae Bonae Spei, in abbatiam Clarae-Vallis, suscitata, de qua fuse PHILIPPUS DE HARVENGT, in ep. X ad (s.) Bernardum, sed et quae varios interventus Capituli generalis Praemonstratensium contra Philippum provocavit.

Cetera capita querelarum in Epist. 253 Bernardi ad Hugonem, enumerantur, quae totidem sunt casus, qui singillatim minoris momenti, simul sumpti tamen animas exasperare potuerunt et ad rumpendum pactum a. 1142 disponere ⁵⁰⁾. S. Bernardus in dicta epistola, postquam ad singulas responderit querelas, signum offerens sinceræ amicitiae et caritatis testimonium erga Ordinem Praemonstratensem irresistibile, absque dubio multum contulit ad spirituum pacificationem. Paulo post mortem s. Bernardi, documento in Capitulo generali a. 1153 redacto, pax confirmata fuit.

Ipsium hoc documentum haud multum continet. Praeter recognitionem auctoritatis arbitrorum, qui controversias solverunt, et renovationem pacis, nova ex utraque parte praebetur cautio, qua quod-

⁴⁶⁾ Ed. J. CANIVEZ, l. c., I, p. 39.

⁴⁷⁾ Ed. *Patr. Lat.*, CCIII, col. 77-85; 88-97.

⁴⁸⁾ Ed. *Patr. Lat.*, CLXXXII, coll. 453-458.

⁴⁹⁾ Cfr. U. BERLIÈRE, *Philippe de Harvengt*, in *Rev. Bénéd.*, IX, 1892, pp. 24-31; 69-77; 130-136; J. TURK, *Cistercii Statuta antiquissima*, in *Anal. S. Ord. Cist.*, IV, 1948, p. 49 s.; Fr. PETIT, *Bernard et l'Ordre de Prémontré*, l. c., p. 298 ss.

⁵⁰⁾ Vide epistolam 253 Bernardi (ed. *Patr. Lat.*, CLXXXII, coll. 453 ss.). Cfr. etiam H. LAMY, *Vie du Bx. Hugues de Fosses*, Louvain, 1909, p. 89 ss.

libet tentamen recedendi a terminis semel conventis, communi assensui Capituli generalis utriusque Ordinis fuit reservatum ⁵¹⁾).

Pactum renovatum, revera, validum instrumentum extitisse in eliminandis materiis controversiarum, statuta probant *Capit. Gener. O. Cisterc.* aa. 1191, 1194, 1198, 1207, 1218, 1230, 1232 ⁵²⁾).

6. *Participatio orationum Fulconi, regi Hierosolymitano, a Capit. Generali post a. 1136 concessa.*

Annalista Ordinis, C. L. HUGO, refert notitiam, iuxta quam Capitulum Generale « honorabiles litteras » regi misisset Hierosolymitano, mediante Amalrico, in Terra Sancta apostolico munere fungente ⁵³⁾).

Litterae Capituli generalis vix conservatae sunt. Apud LEPAIGE specimen quoddam invenitur huiusmodi litterarum de concessione fraternitatis et communitatis orationum a Capitulis generalibus exaratarum ⁵⁴⁾).

Litterae ad *Fulconem* certe posteriores sunt a. 1136, cum Amalricus hoc anno ad Terram Sanctam profectus sit, et a. 1137 factus sit abbas s. Habacuc ⁵⁵⁾).

7. *Preces pro incolumitate Sedis Apostolicae a Capit. Generali praescriptae (post a. 1144).*

Iuxta *Chartularium Praemonstratense*, ad quod C. L. HUGO nos remittit, quoddam ex Capitulis generalibus post a. 1144, reverso a Roma Hugone, abbate Praemonstrati, celebratis, decrevisset « praescribendas esse per universum Ordinem supplicationes et Missas sacerdotibus imponendas pro incolumitate S. Sedis et fidei incremento », et desiderante Summo Pontifice, Lucio II (1144-1145), « in

⁵¹⁾ Cfr. J. LEPAIGE, l. c., p. 323.

⁵²⁾ Ed. J. CANIVEZ, l. c., I, p. 135; 173; 230; 344; 498; II, p. 90; 108. — Ineunte saec. XIII, querelae et dissensiones videntur denuo multiplicari. Ideo iam a. 1132, urgente abbate Praemonstratensi, novus tractatus incepit ad renovandam inter utrumque Ordinem pacem (cfr. J. CANIVEZ, l. c., II, p. 108; 206).

⁵³⁾ Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f^o 188 et J. LEPAIGE, l. c., p. 419. — HUGO (l. c.), de duobus abbatibus, Almarico, Floreffiae, et Almerico, Gratiae-Dei, abbatibus loquitur. Erronee tamen modo, cum teste *Chronico Gratiae-Dei*, de eadem persona agatur (cfr. MGH, SS, XX, p. 688).

⁵⁴⁾ Cfr. J. LEPAIGE, l. c., p. 323.

⁵⁵⁾ Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 404.

unaquaque circaria idoneos contionatores qui ad primam Pontificis lussionem cruciatam praedicarent » deputavisset ⁵⁶⁾).

8. *Capitulum generale a. circ. 1163 anathema dixit Octaviano antipapae.*

Notitiam hanc hausimus ex epistola Ioannis, abbatis Belli-Loci, quondam electi Praemonstrati, sed ab Alexandro III reprobati, aa. 1171-1172 ⁵⁷⁾.

Iuxta hanc notitiam, quidam generalis Coabbatum conventus, sub Philippo, abbate Praemonstrati, habitus, anathema dixit Octaviano et insimul professus est Alexandrum III, tamquam legitimum Papam.

Quoad tempus huius conventus, videtur locum habuisse ante mortem Octaviani, probabiliter mense octobris a. 1163.

Ad hanc attestationem fidelitatis Capituli, autumamus respondisse Alexandrum III, in litteris *Omnipotenti Deo*, incertae datationis, quas nos tamen anteriores a. 1164 censemus. In his litteris, Papa discretionem laudat Philippi, abbatis Praemonstrati et universi Capituli Ordinis, qua iniquitatem studuerunt vitare schismaticorum et catholicam servare unitatem ⁵⁸⁾.

9. *Interventus Capit. Gener. in erectione, divisione abbatiarum.*

1) Horum interventuum ex parte Capituli generalis in fundatione novorum coenobiorum, primum documentum asservatum, etiamsi valde inops elementorum iuridicorum, litterae constituunt Capit. generalis ad *Henricum Zdik, episcopum Moraviae* ⁵⁹⁾.

Datum quod attinet litterarum, Codex Olomucensis, eas anno adscribit 1143. A. ZAK a. 1141 documentum attribuit, cum, iuxta

⁵⁶⁾ C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f^o 256.

⁵⁷⁾ Ed. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 15.

⁵⁸⁾ Nescimus, an notitia, in narratione historiographi Metensis, apud HUGO relata (« ea die apud Praemonstratum convenerunt fere quadraginta abbates pro alio negotio » pro tractanda scil. controversia Iusti-Montensium, a. circ. 1161 (*Annales*, I, col. 949), poterit vel non ad hunc conventum referri ? Proximitas in tempore eventuum, nec non ratio negotii, quod affluxum extraordinarium abbatum, etiam Chronistarum mentione dignum, explicat, huiusmodi praesumptionem commendant.

⁵⁹⁾ Cfr. A. BOCZEK, *Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae*, Olomucii, 1836, I, p. 216 s., iuxta Codices Archivi Capit. Olomucensis, saec. XIV.

eum a. 1142 Evervinus, abbas Steinfeldensis et Godescalcus, abbas Siloensis, executores litterarum, iam Pragam advenissent ⁶⁰⁾.

Considerato tenore, litterae ad petitionem respondens Henrici, ep. Moraviae, cui « humilis conventus in Praemonstratensi colloquio congregatus » assensum praebet ut conventus ei mittatur, quemque Episcopo commendat, spem simul exprimendo, Episcopum posse aliquando desiderium suum adimpleturum, partem habere in « humilitatis colloquio ».

Praecedentia et sortem foundationis, *Annales Pragenses* referunt ⁶¹⁾ et Charta Henrici, a. 1143 ⁶²⁾. Secundum notitias horum fontium, Henricus, foundationem Strahoviensem iam antea inceptam, Praemonstratensibus cupiens concredere, suadente abbate Steinfeldensi, ad Capitulum se dirigit Praemonstratense, a quo dictis litteris assensum obtinet. Negotium foundationis abbati Steinfeldensi committitur a Capitulo, qui revera foundationem perfecit et ut pater-abbas semper Strahovii iure foundationis se gessit.

Primum ergo testimonium interventus Capituli generalis nihil aliud est quam « nihil obstat » et commendatio.

2) A. 1144 Capitulum generale foundationem de *Lucerna* in « ordinem » suscipit et sub paterna custodia abbatis s. Iudoci in Nemore ⁶³⁾.

3) A. 1156 ad petitionem Gualteri, fundatoris *Ardennae*, Capitulum generale, suo decreto, dictam foundationem, non obstante voluntate contraria abbatis de Lucerna, in abbatiam promovet et sub paternitate relinquit Lucernae ⁶⁴⁾.

4) Interventum Capituli generalis praetendit C. L. HUGO, etiam in *substitutione* Praemonstratensium de *Monte s. Martini* canonicis regularibus s. Augustini apud Viromandiam, facta ab Episcopo Noviomensi, a. 1144; nullum tamen indicat fontem suae informationis ⁶⁵⁾.

⁶⁰⁾ Cfr. *De venerabili Gerlaco et Godescalco*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, X, 1914, p. 58 s.

⁶¹⁾ Cfr. *Annalium Vincentii Pragensis Continuatio Gerlaci*, abb. Milovicensis, MGH, SS, XVII, p. 695 s.

⁶²⁾ Ed. A. BOCZEK, l. c., I, p. 217 ss.

⁶³⁾ Cfr. *Chronique du XIII^e siècle*, ed. E. RINGEARD, in *An. Praem.*, II, 1926, p. 170; 176.

⁶⁴⁾ Cfr. *ibid.*, p. 160 s.

⁶⁵⁾ Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f^o 257. — *Annales*, II, col. 1121-24 nihil de hoc interventu dicunt.

5) Decisio litis inter monasteria S. Crucis Metensis et Iusti-Montis circa divisionem monasterii S. Crucis, inter aa. circ. 1158-1161 habitae.

Fusiores notitias in narratione *Historiographorum eccl. Metensis* habemus ⁶⁶⁾, quae perfecte concordant cum narratione Chartae Stephani de Barro, ep. Metensis, a. 1161 ⁶⁷⁾. Iuxta ibidem relata, ex antiquo Ordinis coenobio, prope civitatem Metensem fundato, post diversas migrationes, duo denique sub eodem abbate efformati sunt conventus, de *Buris* et *Iustus-Mons*, inter se interminabiliter litigantes. Alii divisionem voluerunt perfectam, congregationem omnium fratrum sub eodem Superiore ceteri. Convenientibus vicinorum locorum abbatibus — inter quae illa vice etiam *Ulricus Steinfeldensis* a Capitulo generali revertens — communi consilio et consentientibus partibus, ad perfectam perventum est *divisionem* personarum et bonorum, scripto confirmatam, ita ut duo surrexerint monasteria perfecte distincta cum proprio abbate.

Postea vero, arguente abbate Iusti-Montis contra communitatem de Buris, ad iudicium appellatum est abbas Praemonstrati. Qui, advocatis ad se abbatibus utriusque monasterii, restitutionem status anterioris, cessionem novi electi et reditum fratrum de Buris et Iustum-Montem, sub regimine antiqui abbatis statuit. Sed fratres non acquiescentes decisioni abbatis Praemonstrati, consulente episcopo Metensi usque ad sequens Capitulum generale differebatur executio.

Capitulum generale, auditis iterum partibus, divisionem antea ratam habuit et confirmavit, certiores de actis simul faciens Archiepiscopum Trevirensen ⁶⁸⁾ et episcopum Metensem, tum ut respondeat litteris ab ipsis ad Capitulum directis, tum ut decretum Capituli ratum haberi faciant et adiutorium ipsorum in coercitione contravenientium obtineat.

Res tamen, non obstante excommunicatione a Capitulo contra foedifragos inflicta, nec ita finem habuit. Fratribus Iusti-Montis continuo reclamantibus, controversia alternatim coram consilio abbatum vicinorum et Capitulo generali iterum atque iterum retractata fuerat coram episcopo Metensi in fine. Hac vice, superveniente

⁶⁶⁾ C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 947 ss.

⁶⁷⁾ *Ibid.*, I, Prob., col. CCCCLXXVI.

⁶⁸⁾ Ex Charta Hillini arch. Trevirensis, a. 1161, scimus abbatiam S. Crucis in tutelam Metropolitanae Sedis fuisse susceptam, salvo per omnia iure Episcopi Metensis (cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. CCCCLXXV).

etiam abbate Praemonstratensi cum quibusdam coabbatibus suis, ut querela sopiretur definitive, retractatis omnibus prius factis, satisfactum est omnibus querimoniis, abbate quoque S. Crucis acquiescente et episcopo Metensi Chartam confirmante ⁶⁹⁾.

10. *Determinatio vel translatio paternitatis in monasteria.*

Praeter casus supra indicatos *Lucernae* et *Ardennae* monasteriorum, in quibus Capitulum a. 1144 respective 1156 paternitatem aliquomodo controversam positive determinavit, scimus Capitulum generale a. 1164 monasterium s. *Petri Selincurtensis* iuribus paternitatis in monasterium s. *Augustini Tarvanensis* privasse, et hoc ultimum, postquam duos eius abbates, Alelmum et Drogonem, propter indignitatem et incuriam successive deposuerit ⁷⁰⁾, curae commisisse s. *Nicolai Furnensis* ⁷¹⁾.

Uti e fontibus patet, tum in processu contra praedictos duos abbates, tum in substitutione Furnensium, fratribus de Selincurte, Philippus, abbas Praemonstrati quidem est qui agit, qui decretum translationis exequitur, ex auctoritate tamen expressa Capituli generalis et ad instantiam Episcopi fundatoris ipsoque laudante.

11. *Acceptatio resignationis abbatum vel depositio eorumdem.*

1) A. 1140 Capitulum generale resignationem Odoramni, abbatis *Montis s. Martini*, acceptavit, et, post praeviam electionem fratrum, novum abbatem subrogavit, Godescalcum, e monasterio s. *Martini Laudunensis* ⁷²⁾.

2) A. 1152 Goswinus, abbas *Truncinii* aetate provectus, « petitam ardentem suam exauctorationem a patribus impetravit » ⁷³⁾.

3) Relate ad depositiones abbatum, notitiam Chronographi domestici *Ninivensis* referre possumus, iuxta C. L. HUGO, de depositione *Gilberti*, abbatis *Ninovens*, a. 1142. Fratribus enim, propter

⁶⁹⁾ Ed. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. CCCCLXXVI. — Cfr. Narratio chartae collat. cum Chronico Eccl. Metensis, *ib.*, I, col. 947 ss.

⁷⁰⁾ « Alelmus iudicio Capituli generalis loco motus, ad domum professionis redire compellitur ». Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 224.

⁷¹⁾ Decretum Cap. Gen. a. 1164, apud C. L. HUGO, l. c., I, Prob., col. CXXXII. — Notitias in Charta Milonis II, ep. Tarvanensis, a. 1164 (*ib.*, col. CXXXII), et HUGO, *Annales*, I, col. 223, et *Annales*, III, ms. f° 139; 221) referunt.

⁷²⁾ Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f° 221.

⁷³⁾ Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 991.

nimiam paupertatem coram Capitulo generali conquerentibus, abbas religione quidem pollens, imprudenter tamen plures utriusque sexus religiosos sibi attrahens, improvidens tamen eorum necessitatibus, « absolvitur » a Capitulo generali, et loco, eius, praehabita fratrum electione, Gilbertus e monasterio Parcensi, matrice Ninoviae, subrogatur ⁷⁴).

12. *Casus Philippi de Harvengt in Capitulo probabiliter a. 1149-1152 tractatur.*

Supra mentionata controversia Philippi cum s. Bernardo, circa admissionem « irregularem » Roberti, professi abbatae Bonae-Spei, a s. Bernardo, tum ratione materiae tum ratione personarum, materiam obtulit interventui Capituli generalis.

De hoc interventu nonnulla ex Epistola XII Philippi ad Eugenium papam III, ante a. 1152 scripta haurire possumus ⁷⁵).

Tonus asper, quo Philippus in defensione iurium suae abbatae, cuius erat prior, modum agendi Bernardi et totum Ordinem Cisterciensem, in epistola X ad Bernardum, aggressus est, et vehementia qua vindicationi professi illegitime a Bernardo suscepti institit; ac ex altera parte, auctoritas s. Bernardi, quam etiam maiores Ordinis Praemonstratensis subierunt, ac amicitia ipsius erga fundatorem et integrum Ordinem, cuius fructibus totus Ordo in sua diffusione gavisus est ⁷⁶), quamque perdere noluerint, innumerabiles admiratores s. Bernardi contra Philippum disposuerunt. Hi ultimi Philippum de vitio nimiae ambitionis, et de animo discordiae accusantes, ut relinquat abbatiam voluerunt. Non obstante protectione episcopi Cameracensis et nonnullorum abbatum sui Ordinis, qui innocentiam affirmarunt Philippi adversarii huius ad forum Capituli generalis appellarunt et ad tempus praevaluerunt.

Capitulum generale, prout ex Epistola Philippi ad Eugenium III deduci potest, probabiliter a. 1149 habitum, Philippum muneris Prioris privavit et cum septem fratribus ad alia coenobia Ordinis misit ⁷⁷).

Iuxta Epistolam eiusdem Philippi ad Bartholomaeum, non clare

⁷⁴) *Annales*, III, ms. f^o 194. Etiam *Chronicon Balduini Ninovensensis*, ed. HOLDER-EGGER, in MGH, SS, XXV, p. 531.

⁷⁵) *Ed. Patr. Lat.*, CCIII, coll. 88-97.

⁷⁶) Cfr. FR. PETIT, *Bernard et l'Ordre de Prémontré*, l. c., p. 294 ss.

⁷⁷) *Epist. XIII ad Eugenium III: Patr. Lat.*, CCIII, col. 97.

constat an Capitulum, quod Philippum primo condemnaverat, reapse fuerit generale, an consilium quorundam abbatum ⁷⁸⁾. Ex Epistola Eugenii III, deducere licet, iam prima vice de Capitulo generali agi, quod tamen « reo » absente et absque admissa defensione, paucorum abbatum principum definitioni se remittens, Philippum damnavit ⁷⁹⁾.

Sub locutione « quod noluerit dignum maioribus obsequium exhibere », merito suspicari licet motivum condemnationis a Capitulo inflictæ, denegationem fuisse reparationis pro offensis debitæ, quibus Bernardum in suis Epistolis affecit, et quod noluerit pacifice sustinere transitum Roberti ad Claram-Vallem, ut iam irreformabilem.

Scandalum exinde ortum, modicum non erat. Videtur Philippum eo tempore, loco sui abbatis, qua Prior, totam abbatiam administrasse ⁸⁰⁾.

Capitulum generale, probabiliter a. 1151, casum denuo examinavit. Nescimus, an Philippus personaliter retractationem decreti præcedentis Capituli urserit; ex expositione Philippi tamen discimus, plures capitulares Ordinis e diversis mundi partibus Præmonstratum petentes et per monasterium Bonæ-Spei transeuntes, originem diflusi scandali et tractationem præcedentem novisse, ipsosque rem discretius retractandam ad commune iudicium Capituli generalis proposuisse ⁸¹⁾. Revera, sedente Capitulo generali, patres casum denuo, et accuratius quam prius, investigando, primum decretum reformarunt. Communis sententia patrum capitularium, quantum ad transitum professi ad Cistercienses, primum decretum ratum habuit; quantum vero ad reparationem scandali, primum decretum

⁷⁸⁾ Epist. IX ad Bartholomaeum, ep. Laudunensem: *Patr. Lat.*, CCIII, col. 76.

⁷⁹⁾ Epist. XIII ad Eugenium III, l. c., col. 97. — « Principes Ordinis », de quibus Philippus loquitur (Epist. IX, l. c., p. 76), optime de Definitoribus Capituli generalis intelligi possunt.

⁸⁰⁾ In Epist. XII ad Eugenium papam, Philippus observat, monasterium suum providentis proprii abbatis caruisse. Sensus est sat æquivocus. Iuxta MAGHE, *Chronicon Bonæ-Spei*, Bonæ-Spei, 1704, p. 65, « providentiæ carentia », positionem Odonis, abbatis Bonæ-Spei, vult indicare, qua contra suum Priorem in interesse sui monasterii, denique partem Bernardi in controversia circa transitum Roberti assumpsit. Contra formalem dimissionem dicit, Charta quædam a. 1156, in qua Odo adhuc ut abbas se gerit. Cfr. U. BERLIÈRE, *Philippe de Harvengt*, in *Rev. Bénéd.*, IX, 1892, p. 28, s. n. 6.

⁸¹⁾ Cfr. Ep. XII ad Eugenium III: *Patr. Lat.*, CCIII, col. 94; 94-97.

reformavit, remissionem Philippi et fautorum eius ad propriam abbatiam imponendo adversariis.

De executione sententiae Capituli nihil ulterius scimus. Videtur tamen adversarios se gravatos sentientes, nec post sententiam irrefragabilem Capituli acquievisse, nam Philippus totum negotium Summo Pontifici deferens, executionem sententiae Capituli a Summo Pontifice aliquomodo videtur expostulasse.

13. *Capitulum generale litem inter monasteria Ninovensem et Diligensem circa possessionem ecclesiae de Liedekerke dirimit.*

Controversiam BALDUINI, *Chronicon Ninovense* refert ⁸²⁾.

Controversiae initium ascendit ad a. circ. 1147. Diligem ecclesiam de Liedekerke, quam Ninove legitime possidebat ⁸³⁾, eo quod aliquando sibi subiecta fuerat, vindicavit. Prima vice, negotio commisso arbitrio s. Bernardi, partes ad compromissum venerunt, quod etiam Nicolaus, ep. Cameracensis et Sampson, archiep. Remensis, ratum habuerunt ⁸⁴⁾. Fratres tamen Diligemenses inquieti, non obstante inhibitione Hugonis, abbatis Praemonstrati, nomine Capituli generalis utrique parti indicta ⁸⁵⁾, iterum iurgia suscitaverunt. Abbas Ninovensium ut molestias Diligensium fugiat, rem iudicio archiepiscopi submitit, qui, simul cum Episcopo Atrebatensi et Noviomensi, arbitrium s. Bernardi confirmat.

His fundatum testimoniis, et habito etiam testimonio episcopi Cameracensis, iuxta quod Liedekerke numquam ad Diligenses pertinuit, Capitulum generale suam quoque auctoritatem interponit ut controversiae finis apponatur et sententia executioni demandetur ⁸⁶⁾.

⁸²⁾ MGH, SS, XXV, p. 532. — Etiam C. L. HUGO, *Annales*, III, ms. f° 226.

⁸³⁾ Cfr. Bulla *Quotiens illud*, Eugenii III, 1147: ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CCXXIX.

⁸⁴⁾ Cfr. Litterae s. Bernardi circa 1148 (ed. J. J. DE SMET, *Corpus Chronicorum Flandriae*, Bruxellis, 1837-1865, II, p. 758; Charta Nicolai, ep. Cameracensis, a. 1146 (ed. *ibid.*, p. 757); Charta Sampsonis, archiep. Remensis, a. 1159 (ed. *ibid.*, p. 762). — Iuxta Litteras Hugonis, abbatis Praemonstrati (II, ed. DE SMET, I, c., p. 759, n° 10), arbitrium s. Bernardi etiam ab Eugenio III confirmatum fuerit. Charta Nicolai, ep. Cameracensis, a. 1159 (ed. *ibid.*, p. 762, n° 15) novam approbationem testatur.

⁸⁵⁾ Cfr. Litterae I Hugonis, abbatis Praem., a. circ. 1150 (ed. DE SMET, I, c., p. 760, n° 11). Duae litterae Hugonis in negotio de originali archiv. Flandrae orient. edidit DE SMET.

⁸⁶⁾ « ... his itaque omnibus in unum concurrentibus, nos quoque (Hugo) freti

Litteras Hugonis, quarum holographum extat, magni momenti reddunt etiam signa trium primorum abbatum (s. Martini Laudunen., Floreffien., et Cuissiacens.) in ordine praecedentiae traditionali posita, prima vice simul inventa, quod manifeste probat, a. circ. 1150, abbatem Cuissiacensem iam in Capitulo generali speciali praerogativa « primi abbatis » insignitum fuisse. Numerus etiam 12 abbatum subscribentium indicium praebet pro determinanda frequentatione Capitulorum illius temporis, et ad limites magis reales revocat assertum HERMANNI LAUDUNENSIS, qui eodem tempore sermonem habet de « fere centum abbates in festo beati Dionysii apud Praemonstratum convenisse ».

14. *Acta (aa. 1174-1178) quae exemptionem de annua frequentatione Capituli generalis partialem abbatibus Angliae et Hispaniae concessam continent.*

1) Epistola Hugonis II, abbatis Praemonstrati (1171-1192) et Capituli generalis, a. 1174 abbatibus Angliae. Epistolam hanc nullibi vidimus indicatam. Unicum vestigium invenimus apud C. SAULNIER⁸⁷⁾, qui illam certe e collectionibus extraxit, quibus C. L. HUGO usus est in conscribendo suo opere : *Annales Ordinis*.

Epistola ista primum testimonium constitui, in ordine chronologico quod exemptionem probat partialem ab obligatione frequentationis annuae Capitulorum generalium ; quae concessio a Capitulo generali a. circ. 1174 abbatibus Angliae data est. Continet applicationem novem abbatibus monasteriorum in Anglia obligationis Statutorum Ordinis assistendi annuis Capitulis generalibus et visitationis annuae monasteriorum instituendae. Ut mandatum Capituli generalis de annua assistentia Capitulis et de annua visitatione regulari in executionem deducatur, novem monasteria Capitulum generale in unam congregavit Circariam.

Vi concessionis Capituli, abhinc singulis annis, duo tantum e novem abbatibus Circariae, quarto vero anno tres simul ad Capi-

rei veritate et supradictorum virorum auctoritate, querelam istam utriusque abbatis assensu iudicio terminavimus; ita scilicet ut ecclesia Ninivensis supradictam possessionem (Liedekerke) amodo in pace possideat, et abbas Iethensis (Diligem) ab eius iniusta vexatione quiescat. Ut ergo rata haec et inconversa permaneant sigillo nostro signavimus et coabatum nostrorum, qui interfuerunt nomina subscripsimus » (*Litterae* II, HUGONIS, ed. DE SMET, l. c., p. 759).

⁸⁷⁾ *Statuta a. 1630*, ed. C. SAULNIER, p. 338, n. 1, ad cap. I, dist. IV.

tulum generale venire debuerunt ⁸⁸⁾. In casu vero quo, propter prohibitionem regiam vel tempestatem maris impediti fuerint, id Capitulum intimare debebunt, ut legitime excusentur ⁸⁹⁾.

2) Similis tenoris sunt *Litterae Hugonis II*, Praemonstratensis abbatis, *ad praelatos Hispaniae et Gasconiae pro certis causis* (post a. 1178) ⁹⁰⁾, quae Decretum confirmant abbatum Hispaniae a. 1178 ⁹¹⁾.

In scriptis istis, haec, quoad Capitulum generale, referenda veniunt. Statutum a. 1178, communi consensu abbatum Ordinis in Hispania conditum, sub gravibus sanctionibus, Capitulum instituit regionale, singulis annis in Vigilia Ascensionis Domini, apud Retuertam celebrandum, et ordinem determinavit participandi Capitulis eorumdem abbatum.

Praemissa huiusmodi institutionis penitus ignota sunt. An proprio Marte, vel interventu abbatis Praemonstrati, hoc speciale institutum introductum fuerit, nescimus. E fragmento tamen litterarum Hugonis II patet abbatem Praemonstrati et Capitulum generale, sicut Anglos et Magdeburgenses, etiam abbates Hispaniae ad praeceptum generale Capitulum frequentandi monere non destitisse. Ut poenas Capitulorum generalium forsitan, subterfugiant, et ut necessitatibus aliquomodo provideant vigilantiae et correctionis in absentes a Capitulis generalibus, ad hoc speciale institutum, ceterum nec in aliis partibus ignotum recurrerunt ⁹²⁾.

⁸⁸⁾ « ... Generali itaque nostrum institutione sancitum est, ut vos novem in una circatione sitis, et duo ex vobis singulis annis ad Capitulum veniant, ita ut quarto anno veniant, tres » et enumerantur abbatiae (*Ibid.*).

⁸⁹⁾ « ... Vobis ergo omnibus, auctoritate Ordinis et vi obedientiae iniungimus, ad institutionem hanc sicuti expressum est, absque omni conditione, observatis. Si vero contigerit ut usque ad portum de Douvre (Dover) venientes, Regia prohibitionem, vel tempestate transfretare nequiveritis, obstante illud nobis et citationem vestram innotescatis, ut ita excusabiles habeamini »; *Litterae Hugonis II* ad Anglos, ed. SAULNIER, l. c.

⁹⁰⁾ Transsumptum a STEPHANO DE NORIEGA e codicibus mss. vetustissimis bibliothecarum monast. S. Mariae Civitatis (Ciudad Rodrigo) et s. Mariae Regalis Aquilaren. (Aguilar de Campo) extractum, asservatur in Cod. mss. 1766 bibl. Status Nancy, f^o 88v, citatum fragmentarie in *Stat. a. 1630* (ed. SAULNIER, p. 338 s., not. 1, ad cap. i, Dist. IV).

ad cap. i, Dist. IV).

⁹²⁾ Capitulum nationale abbatum regni Angliae, apud Newhouse a. 1192-1193 celebratum, abbatem Liskensem, ex auctoritate abbatis Praemonstrati Visitatorem, pro praeside habuit (M. COLVIN, *The white Canons in England*, Oxford, 1951, p. 198, n. 4). — Quoad conventus Magdeburgii, in commemoratione mortis

Institutio huiusmodi Capituli particularis seu regionalis non prohibebatur a Statutis Ordinis, quod in *Charta Caritatis* pro Cisterciensibus explicite edicitur ⁹³⁾. Ideoque nec approbatio abbatis Praemonstrati nec Capituli generalis denegata fuit. Imo, prout e Litteris patet Hugonis II, obligatio pro abbatibus Hispaniae annuis illis conventibus participandi, novam vim acquisivit novaque sanctione firmata est ⁹⁴⁾.

Litterae istae statuerunt de facto, ut unoquoque anno, duo tantum ad Praemonstratense Capitulum veniant, et quidem ordine ab ipsis determinato. Cum talis ordinatio nihil aliud sit quam applicatio statuti generalis, merito coniicimus aliqualem interventum Capituli generalis nec in hoc casu defecisse. Revera, Litterae Hugonis II, approbationem implicitam huiusmodi « exemptionis Ordinis » continet.

Obligatio igitur participandi Capitulis generalibus hac ordinatione moderata, viso numero duodeviginti abbatiarum, iter decennale pro singulis abbatibus secum tulit, et sic, onus expensarum et labor itineris aequo gradu reducta esse videntur ⁹⁵⁾.

Sola evidens causa, vel necessitas, ab hoc ordine ad Capitulum eundi exemit abbatem ; qui tamen loco suo procuratorem, unum de praestantioribus suae domus fratribus mittere tenebatur. Si quis illegitime absens fuerit, neque suum procuratorem miserit, socius, abbas scilicet qui cum eo ire debuisset, illo anno non, sed sequenti anno Praemonstratum adire debuit. Contra abbatem illegitime ab-

Norberti celebrato, vide Fr. WINTER, *Die Prämonstratenser des zwölften Jahrhunderts*, Berlin, 1865, p. 245.

⁹³⁾ Cfr. CC « *prioris* », cap. VIII, ed. J. TURK, in *Anal. S. O. Cist.*, I, 1945, p. 54, n. 11.

⁹⁴⁾ « Nullus remaneat, nisi gravi detentus infirmitate, vel Regia magna et inevitabili occupatione. Si autem aliquis eorum non venerit, nisi aliqua istarum duarum causarum, vel alia evidenti et inexcusabili occupatus fuerit, omni illo anno careat Pastoralis Baculo » (Decretum a. 1178, Cod. ms. cit., f° 88 s.), collat. cum textu sequenti Litterarum Hugonis II: « Poene vero, ..., hanc superaddimus, ut ille qui remanserit, nisi gravi detentus infirmitate, ad Nos eodem anno rationem redditurus venire non differat » (Cod. ms. cit., f° 88 v).

⁹⁵⁾ « Ex relatione dilecti filii nostri A. S. Leonardi abbatis accepimus, quod quidam nostrorum fratrum, cum ad professionem (in margine: « an protectionem ») a nobis invitantur, eam renuere non formidant... Unde statuimus, ut tales, donec resipuerint, ordinis careant exemptione nec... alicubi in conventu ante professos sedere presumant » (*Litterae Hugonis II*, Cod. ms. cit., f° 88 v). « *Exemptio ordinis* » videtur ordinem significare participationis Capitulis generalibus in Stat. a. 1178 determinatum.

sentem, omnes alii abbates scribere tenebantur ad Capitulum generale, illum accusantes.

Conditio procuratoris ad Capitulum missi, eadem fuit ac abbatis, socii itineris ⁹⁶).

Capitularibus Praemonstratum pergentibus, mandavit abbas Praemonstrati et Capitulum generale, ut saltem in eundo, monasterium Casae-Dei, matricem omnium ecclesiarum Ordinis in Hispania, visitent ⁹⁷).

Ceterum, eadem litterae Hugonis II, auctoritate abbatis Casae-Dei, in decidendis rebus controversis totam illam regionem respicientibus, non omiserunt inculcare ⁹⁸). Praeterea, abbas Hugo II et Capitulum generale, tamquam supremi custodes uniformitatis ordinis et disciplinae regularis, apud Hispaniae quoque abbates, nonnullarum communium Ordinis observantiarum executionem urgebant, quoad cantum liturgicum, vestitum et ordinem divinatorum officiorum, respectu semper habito de ipsorum legitimis consuetudinibus particularibus. Harum ordinationum cognitio pro recto indicio inservire potest, in periodo documentis directis tam inopi, ad investigandum, in quanam materia Capitulum generale suam competentiam in praxi affirmavit ⁹⁹).

⁹⁶) Stat. a. 1178, Cod. ms. cit., f° 88 v, quod etiam *Stat. a. 1630*, ed. SAULNIER, allegatur, p. 339, not. 1, ad cap. 1, Dist. IV, ex eodem certe Cod. ms. extractum.

⁹⁷) « Sane cum ad Nos venitis, nihilominus mandamus, ut Casam Dei, que omnium vestrum mater est, diversitatis, eamque saltem in adventu Vestro visitare non negligatis » (Cod. ms. cit., f° 88 v).

⁹⁸) Vide textum n. seq. allatum.

⁹⁹) « ... Quod autem omnimodo vestrum teneamini cantum sequi, omnino dicimus. A principio namque Ordinis scimus, indultum fuisse, ut ille Ecclesie, in quarum Provinciis nostra non habeatur nota, seu Dioecesane cantum sequerentur Ecclesie, uniformitate tamen, quantum possibilitas permetteret, inter nos, et vos observata. Attamen quoniam in Gasconia, et Hispania cantandi modus idem habetur, dignum iudicamus, ut inter vos omnes uniformiter cantetur. Dominus igitur Casae-Dei Abbas conferat cum Abbatibus de Retorta, et de Vite, et quod cum illis duobus ille statuerit, Vos omnes alii recipere non contradicatis. Et ut illorum, cum quibus vivitis, morem gerere possitis, in duplicibus festis in Vesperis, et Matutinis *Benedicamus* cum Pneumate subiungere concedimus. Vobismetipsis praecipimus, ut canonicos vestros, nec etiam equitationis occasione, nisi in candido habitu apparere permittatis. De Pelliciis, et chirothecis, quod receptum est, firmiter teneatis, et teneri faciatis. De femoralibus vero, ne ex illorum defectu aliqua exercentur latrocinia, vobis firmiter tenendum mandamus, ut sicut alie vestes, sic de vestitaria bis in anno, si necesse fuerit, dentur femoralia. Si vero aliqua Abbatiarum paupertatem pretendens hoc facere detrectaverit, reddatur in Grangiam, et redeat in illam Abbatiam ad quam dignoscitur pertinere. Praeterea cum aliquis

15. *Epistola fratris Hugonis Suessionensis ad Patres Confluentiae congregatos* ¹⁰⁰).

Complementi gratia hanc epistolam consideramus ¹⁰¹), in qua unicum casum invenimus, in quo, durante saec. XII, Capitulum generale alibi quam Praemonstrati celebratum fuerit.

Hoc enim fundamento fundata, *Histoire littéraire de la France*, congregationem generalem Praemonstratensium apud Confluentiam convenisse asserit ¹⁰²). Idem tenet H. M. COLVIN, argumenta interna dictae epistolae invicando ¹⁰³).

Reapse, epistola quae, iuxta traditionem augustinianam, legitimitatem defendit nigrae cappae et tunicae lineae, collata cum fontibus, qui tardiores dispositiones Norberti circa habitum pro monasteriis in Gottesgnaden et Magdeburg relictas asservant ¹⁰⁴), non intelligitur Patres congregatos Confluentiae exclusive fuisse abbates monasteriorum Saxoniae et partium Teutonicarum. Merito proinde e tenore illius Epistolae arguitur, dictum conventum non fuisse congregationem tantum abbatum Ordinis in Saxonia vel Westphalia, uti tenet G. MADELAINE ¹⁰⁵), sed potius fuisse conventum generalem, in quo etiam fautores consuetudinum Magdeburgensium, duce Wiggero, episcopo Brandenburgensi, partem habere quidem potuerunt ¹⁰⁶), sed simul cum aliis abbatibus partium Galliarum et ceterarum abbatiarum Ordinis.

Ad concordiam obtinendam dissentientium circa vestitum, ad

vestrum, vel aliorum Nostri Ordinis Abbatum, universe carnis viam ingredi contigerit, ut in ornatu sepeliantur sacerdotali; et ut in eorum anniversariis plenarium pro eorum anima annuatim in Conventu celebretur officium: Et ut in aliquo lautius solito conventui paretur convivium generaliter constituere necessarium duximus » (*Litterae Hugonis*, II, ms. cit., f° 88v).

¹⁰⁰) Cfr. *Histoire littéraire de la France*, XII (ed. 1763), p. 296.

¹⁰¹) Ed. iuxta Ms. lat. 2842, Bibl. Nat. Parisien., f° 141-144; G. VAN DEN ELSSEN, *Beknopte levensgeschiedenis van den H. Norbertus*, Averbode, 1890, Bijlagen III, pp. 395-400.

¹⁰²) *Hist. littér. de la France*, I, c.

¹⁰³) Cfr. *The white Canons in England*, p. 14, not. 3.

¹⁰⁴) Cfr. ARNOLDUS REICHERSBERGENSIS, *Scutum canonicorum*, ed. *Patr. Lat.*, CXCV, col. 1489; *Chronicon Gratiae-Dei*, ed. PABST, MGH, SS, XX, p. 688, et bulla *Significavit nobis*, Alexandri III, a. 1177-1181 (ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CXXI).

¹⁰⁵) *Histoire de s. Norbert*, Tongerlo, 1928, I, p. 263.

¹⁰⁶) Cfr. H. HEIJMAN, *Untersuchungen über die Prämonstratenser-Gewohnheiten*, Tongerlo, 1928, p. 82.

necessitatem unitatis Ecclesiae appellaret Hugo Suessionensis, quae postpositionem humanarum consuetudinum prae divinis praeceptis ubique postulat, et cuius unitas servanda omnem tollit rationem, consuetudinem immutare pro consuetudine. En, uti nobis videtur, sensus Epistolae Hugonis ad Capitulum generale, quod, per consequens uniformitatem vestitus pro argumento, saltem principali, habere debuit.

Cum praedictus Hugo, iuxta *Histoire littéraire de la France*, 4 aug. 1143 adhuc scripserit, circa hoc tempus praesumptum Capitulum generale locum habere debuit ¹⁰⁷⁾.

III. — Documenta Pontificia

quae quasdam decisiones supponunt Capitulorum generalium

Nonnulla diplomata pontificia habentur quae, indirecte quidem, decisionem vel interventum Capituli cuiusdam generalis supponunt.

In hac historiae periodo, ante omnia considerari potest scriptum Apostolicum « *Religiosi fratres* », Eugenii III, 18 nov. 1145, quo Superioribus legitime constitutis, et per abbatem Praemonstrati et respectivos Patres rite commendatis, benedictio abbatialis ab Episcopis impertienda conceditur.

Huius privilegii impetrationem — prout in ipsis litteris expresse refertur — definitio quaedam praecessit, qua Capitulum generale « non causa elationis sed ad maiorem religionis observantiam » statuit, loco praepositorum abbates benedictos constitui ¹⁾.

Iura honorifica abbatum tamen quod attinet, Capitulum quoddam ante a. 1198 celebratum, « ne forsitan ex ipsis supercilium elationis assumat, vel sibi videatur sublimis cum iis uti se viderit quae Pontificibus et maioribus ecclesiarum praelatis a sede apostolica sunt concessa » usum mitrae et chirothecarum, statuto quodam excludit, approbante tamquam « provide facta et recepta » Innocentio III, in rescripto « Quae in favorem », 12 maii 1198 ²⁾.

¹⁰⁷⁾ De morte abbatis Matildae, 13 dec. 1143 adventa, adhuc scribit: *Hist. Littéraire de la France*, XII, p. 296.

¹⁾ Cfr. Ed. J. LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 626.

²⁾ Cfr. J. LEPAIGE, l. c., p. 644. — Hoc non obstante, praepositi Magdeburgenses usum chirothecarum, privilegio « *Ad universalis* », Clementis III, 1187-1191 obtentum (ed. I. P. LUDEWIG, *Reliquiae manuscriptorum, omnis aevi diplomatum ac monumentorum ineditorum adhuc*, Francofortae, 1720-1741, II, p. 409) conser-

Cetera acta Pontificia fere omnia ad controversiam spectant auctoritatis supremae Ordinis cum Magdeburgensibus fratribus, quae fere per medium saeculum agitabant animos, usque dum, post varios numerosos interventus pontificios, a. 1224, Concordia a Conrado episcopo Portuensi, legato Pontificio, in scriptis redacta ³⁾, et litteris « *Ea quae* », 19 april 1225, ab Honorio III confirmata ⁴⁾, submitto auctoritati supremae Ordinis, in essentialibus adminus, obtemperata fuerit etiam praepositorum Ordinis in Saxonia.

Cum initia huius controversiae ad nostram ascendant periodum, debitum nostrum censemus, absque mora in particularibus, ea saltem enumerare acta Pontificia, quae, etsi tardioris sint aetatis, innovationes sunt praecedentium privilegiorum, vel facta in « narratione » referunt antiquiora, hanc controversiam circa auctoritatem Capituli generalis spectantia.

Primum huiusmodi documentum, Epistolam consideramus « *Pervenit ad nos* », Alexandri III, aa. 1162-1170, ad Philippum, abbatem Praemonstrati ⁵⁾, qua Pontifex abbates Ordinis, hortatur, ut « turbationem Ordinis evitantes, universas novitates, de quibus inter (eos) aliqua scissura possit emergere, in tempus aliud (differant) ».

Magdeburgenses in vindicationem suarum libertatum, antiquissimum privilegium invocarunt « *Fidelis agricola* », Innocentii II, 2 apr. 1131, quod libertatem a Norberto fundatore institutam confirmavit ⁶⁾, et cuius innovationem ab Alexandro III litteris obtinuerunt « *Significavit nobis* », a. 1177-1181 ad Baldramnum, praepositum Magdeburgensem (1161-1179) ⁷⁾.

varunt; praeposito vero Brandenburgensi, usus mitrae, annuli, chirothecarum et sandaliorum a Coelestino III, privilegio « *Licet semen verbi* », 18 mart. 1197 conceditur (cfr. A. RIEDEL, *Codex diplomaticus Brandenburgiae*, 18, Berolini, 1838, p. 122).

³⁾ 1 dec. 1224, ed. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. XXIII.

⁴⁾ Ed. G. HERTEL, *Urkundenbuch des Klosters Unser Lieben Frauen zu Magdeburg*, in *Geschichtsquellen der Prov. Sachsen und angrenzender Gebiete*, X, Halle, 1878, n. 104, p. 97.

⁵⁾ Ed. MARTÈNE-DURAND, *Veterum scriptorum collectio amplissima*, Parisiis, 1724, II, col. 816.

⁶⁾ « Ecclesiam B. M. V. in ea libertate manere decernimus, ut ad neminem nisi ad te frater karissime Norberte et ad tuos successores, Magdeburgenses archiepiscopos, respectum habeat et nullius indebite subiectionis onere pergravetur sed sue libertatis fulta privilegio, suo dumtaxat archiepiscopo de qualibet causa respondeat ». Ed. HERTEL, l. c., XIV, 1879, p. 106.

⁷⁾ Cfr. C. L. HUGO, l. c., II, Prob., col. CXXI.

Harum libertatum virtute, immunitatem praetendebant a quolibet auctoritati Capitulorum generalium submissione, et vigilantiam abbatis Praemonstratensis, iure paternitatis universalis fundatam, sicut et obligationem quotannis Capitulis generalibus assistendi, innovationes tenuerunt tardioris originis, ad interventum abbatum Praemonstratensium a Pontificibus impositas, quibus « legitime » se subtrahi posse iudicarunt.

Propterea suas libertates genericas successive confirmari curarunt et obtinuerunt a Lucio III (a. 1181-1185), Coelestino III (1191-1198), de quorum tamen confirmationibus mentionem tantum habemus et fragmenta quaedam, in Epistola Innocentii III « *Effectum iusta* », 9 febr. 1207 ⁸⁾.

Ex eadem Epistola Innocentii III, certiores reddimur de quibusdam litteris Coelestini III, ad abbatem Praemonstrati directis, in quibus abbas et fratres Praemonstratenses monentur, ne ecclesiam Magdeburgensem indebitis aggravarent exactionibus. Fragmentum pretiosum dicta Epistola Innocentii III conservat ⁹⁾.

Documenta Pontificia, quibus institutio Capitulorum generalium Ordinis probatur legitima nec non paterna auctoritas abbatum Praemonstratensium vindicatur universalis, omnia superius enumeravimus et examini subiecimus ¹⁰⁾. Superest nunc ea tantum indicare, quibus, post bullam *In Apostolicae Sedis*, Alexandri III, a. 1177 obtentis, abbates Praemonstrati et Capitula generalia, legitimo iure fundati et

⁸⁾ Cfr. L. G. BRÉQUIGNY - LA PORTE DU THEIL, *Diplomata, chartae, epistolae et alia documenta ad res francias spectantia*, Parisiis, ed. II, 1843-1849, II, 1056.

⁹⁾ « Nos itaque sustinere nolentes, ut a quoquam contra predecessorum nostrorum indulta temere veniatur, auctoritate presentiarum vobis districtius inhiibemus, ne ab ecclesia sancte Marie Magdeburgensis, quam mutua debetis caritate et sinceritate reverenter amplecti, contra id, quod a prima sui fundatione per virum reverendissimum Norbertum, quondam Magdeburgensem archiepiscopum rationabiliter statutum dignoscitur, illam subiectionis obedientiam vel ab aliis ecclesiis ipsius dioeceseos expectatis, quam constat eas vobis vel antecessoribus vestris ab ordinis vestri exordio usque ad hoc tempus nullatenus impendisse, sed quae pacis sunt et concordiae propensius imitantes, vicarie altercationis stimulum declinetis, cum ex ea et animarum iactura proveniat et fraterne dilectionis unitas et religionis observantia dilabatur, sed antiqua visitationis exhortatione ac fraterne caritatis dilectione vos ad invicem in mansuetudinis spiritu, non in tumore vel elatione qualibet visitetis, ut inter vos religionis observantia iugiter convalescat, et discordie stimulus cum auxilio celestis gratie de medio valeat amputari » (« *Effectum iusta* », ed. BRÉQUIGNY, I. c.).

¹⁰⁾ Vide supra, (III, 4 ss.).

auctoritate Romanorum Pontificum suffulti, observantiam praecepti generalis, quotannis Capitulis generalibus participandi, urgebant, etiam penes praepositos Saxoniae et regni Teutonici, qui prius occasione utentes longi schismatis, sub Alexandro III habito, ad privilegium supra mentionatum postea appellantes, huic obligationi arbitrarie se subtraxerunt.

Ad has rationes expresse alludunt litterae « *Transmissa nobis* », Urbani III, 1 aug. 1186-1187, ad abbates Ordinis in terra Teutonica et Saxoniae constitutos ¹¹⁾, et epistola « *In eo sumus* », Innocentii III, 12-13 maii 1198 ¹²⁾, easque tamquam illegitimas proscribentes.

Abbates Praemonstrati, ut praeceptum generale Capitulis assistendi ubique effectum sortiri faciant, ad auctoritatem certe confugerunt Summorum Pontificum. Ad talem recursum alludit citatum rescriptum Urbani III : « *Transmissa nobis* Praemonstratensis Ordinis relatione » ¹³⁾, et, certe, ad Hugonis II interventum concessae sunt litterae « *Quae a viris* » Lucii III, 29 dec. 1181, in quibus, universis Archiepiscopis et Episcopis per regnum Teutonicum constitutis praecipitur, ut abbates et praepositos Praemonstratensis Ordinis, quotannis ad Capitulum generale, Praemonstratum accedere cogant, et sententiam abbatis Praemonstrati in inexcusabiles inflictam, executioni mandent ¹⁴⁾.

Hoc procul dubio intendebat renovatio facultatis iam bulla *Pro stabilitate ordinis*, Eugenii III, 14 mart. 1146 concessae, in forma magis determinatae in bulla : *In eminenti*, Lucii III, 10 mart. 1184, insertae, vigore cuius, si quilibet abbatum aut praepositorum, per contumaciam, Capitulum generale frequentare desierint, licuit abbati Praemonstratensi, consilio sui Capituli, eos usque ad condignam

¹¹⁾ « Quia vero plures ex vobis tempore quo in partibus illis tempestas preteriti schismatis latius inundavit, generali Capitulo se subtraxerunt, ex tunc, sicut audivimus, quasi in consuetudinem deduxistis, ut ad prefatum Capitulum aut numquam aut rarissime veniretis. Quot utique tanto grave magis gerimus, et indignum, quanto ex maiori cernitur tepiditate contingere, si quid pro discipline fuerat custodia stabilitum, per vestram debeat negligentiam deperire ». (« *Transmissa nobis* », ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CXXVIII, collat. cum litter. « *Quae a viris* », Lucii III, infra cit.).

¹²⁾ « ... asserentes vos a sede Apostolica exemptionis privilegium impetrasse, quod tamen non profertis aliquatenus in commune » (« *In eo sumus* », ed. J. LEPAIGE, I, c., p. 646, collat. cum litt. « *Transmissa nobis* » Urbani III, infr. not. 16.

¹³⁾ Cfr. ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CXXVIII.

¹⁴⁾ Ed. J. LEPAIGE, I, c., p. 634. Ad archiepiscopos et episcopos regni Teutonici.

satisfactionem, sententia percellere regulari, et sententiam, quam ipse, sive in generali Capitulo sive extra Capitulum, consilio coabbatum in praelatos et subditos totius Ordinis canonice tulerit, nulli Archiepiscoporum seu Episcoporum, nisi de mandato Romani Pontificis, liceret relaxare ¹⁵⁾.

Absque effectu tamen remansisse videtur, nam ideo impetrata esse apparet iam citata bulla « *Transmissa nobis* » Urbani III, in qua Pontifex, postquam abbates ad Capitulum venire negligentes severe reprehendit, universis abbatibus et praepositis Ordinis in terra Teutonica et Saxonica constitutos, sub poena sententiae ab ipso Capitulo generali infligendae et a Pontifice in antecedenti confirmatae, ad Capitulum generale singulis annis venire denuo iubet ¹⁶⁾.

Certe huius rescripti executionem urget Epistola Hugonis II ad Ulricum, praepositum Magdeburgensem (1180-1199), post a. 1186 scripta, quae, praemissa quadam monitione et exhortatione ad unitatem et concordiam, non minus significativa, omnibus praecipit praelatis Ordinis in Saxonia, ut Praemonstratense colloquium assidue frequentent ¹⁷⁾.

Licet N. BACKMUND, informatione probabiliter suffultus F. WINTER, opinetur praepositos Saxoniae ab a. 1186 iterum Praemonstratum regulariter adiisse ¹⁸⁾, huic contradicit aperte citata iam Epistola « *In eo sumus* », Innocentii III. Secus enim non scriberet Pontifex, inter alia : « Privilegio quod vos a Sede Romana obtinuissetis, non utamini, imo potius ad commune Capitulum statutis temporibus

¹⁵⁾ Ed. J. LEPAIGE, l. c., p. 636.

¹⁶⁾ « Quapropter praecavere vos volumus et praecipimus observare, ut non obstante aliquo rescripto per suppressionem veritatis elicito, pro correptione ipsius Ordinis ad Praemonstratensem ecclesiam, sicut statutum est et antiquitus observatum, ad generale Capitulum annis singulis concurratis, nisi forte illa vos impedimenta detineant, pro quibus secundum paternas traditiones vestras possitis regulariter excusari. Alioquin sententiam, quam praedictum generale Capitulum promulgaverit in absentes, ratam esse volumus et praecipimus inviolabiliter observari » (« *Transmissa vobis* », ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CXXIX).

¹⁷⁾ « Exhortamur igitur fraternitatem vestram in Christo, ne in vacuum Ordinis statuta respiciatis, quod et sibi apostolico decreto renitimini, cuius auctoritas praemonstratense colloquium confirmavit. Qua auctoritate suffulti eadem mandamus et praecipimus, ut decenter illud frequentetis, ne in futuro peremptorium Domini sentiat » (ed. I. P. LUDEWIG, *Reliquiae manuscriptorum omnis aevi diplomatum ac monumentorum ineditorum adhuc*, Francoforts, II, 1720, p. 417).

¹⁸⁾ Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 208, collat. cum Fr. WINTER, *Die Prämonstratenser...*, p. 241.

accedatis, ut inde recipiatis correctionem, unde formam religionis et ordinis accepistis ; alioquin noveritis nos dilectis filiis abbati Praemonstratensi et ceteris abbatibus eiusdem Ordinis, in generali Capitulo convenientibus Praemonstratum dedisse firmiter in mandatis, ut si ad commonitionem ipsorum venire contempseritis Praemonstratum, ad generale Capitulum celebrandum, vos excommunicationis sententia, appellatione remota percellant, et faciant ab omnibus sicut excommunicatos arctius evitari. Venerabilibus etiam fratribus Archiepiscopis et Episcopis in Saxonia et in confinio Saxoniae constitutis, districte praecipiendo mandamus, ut si post commonitionem vobis factam, ab ipsis inventi fueritis contumaces, cum a praefatis abbate et generali Capitulo Praemonstratensi super hoc fuerint requisiti, vos excommunicationis censura, nihilominus appellatione remota, percellant, et ecclesias vestras sententiae interdicti subicere non postponant » ¹⁹⁾.

Sed non obstantibus his, et similis tenoris interventibus pontificiis, plus quam viginti adhuc decurrere debuerunt anni, dum submissio praepositorum Ordinis in Saxonia, iuxta terminos Concordiae a. 1224 denique obtenta fuerit.

Conclusio finalis

Inquisitione peracta fontium omnium et singulorum quos detegere potuimus, ad has conclusiones generales devenimus :

1) Capitulum generale, quod post quinquaginta fere annos a primo colloquio sex abbatum, prima vice in bulla : *In Apostolicae Sedis specula*, Alexandri III a. 1177, uti organum collegiale supremi regiminis Ordinis organice constituti apparet, cum triplici functione potestatis qua gaudet : in iure particulari condendo ; in diiudicando tum controversias monasteriorum inter se, tum actus Superiorum sive subditorum in foro externo ; in executione Statutorum, quae gubernationem personarum rerumque temporalium moderantur administrationem, necnon correctionem exigunt excessuum vel punitionem transgressionum contra Regulam et Statuta commissarum, non est institutum quoddam usque ad id tempus in Ordine penitus ignotum, sed fructus evolutionis historico-iuridicae fere quinquaginta annorum.

¹⁹⁾ « *In eo sumus* », Innocentii III, ed. J. LEPAIGE, l. c., p. 646.

2) Singula elementa instituti iam antea extiterunt ; non quidem simul, sed gradatim apparent. Primo erat deliberatio libera, qua sex abbates, a. circ. 1128, in primo colloquio, communi assensu, annuos conventus abbatum statuerunt iterandos. Hi conventus per consuetudinem extensi et gratia interventuum pontificiorum roborati, denique cum praedicta bulla characterem induerunt institutionis necessariae et generalis.

3) Huius efformationis gradualis instituti organizatio suppedatur iam in *SW* contemplata, et postea in *SMA* authentice et auctoritative assumpta et praescripta. Hac ratione colloquium annuum abbatum in conventum vera auctoritate ditatum excrevit.

4) Cum progressiva efformatione instituti, pari gressu pariter tenuit unio monasteriorum in Ordinem, organice constituendum ; non tamquam deductio ad actum cuiusdam ideae a S. Norberto, fundatore, praeconceptae et inde ab exordio « Ordinis » constitutae ; sed potius tamquam unio superior, quam praecesserunt fusiones partiales monasteriorum vinculo filiationis fundatae. In luce ergo documentorum et interpretatione factorum, amplius vix sustineri potest existentia Ordinis proprie dicti in periodo foundationis primorum monasteriorum, et, consequenter, praesentia auctoritatis supremae, tum cuiusdam Superioris generalia personalis, tum cuiusdam corporis collegialis indolis generalis.

5) Huiusmodi unionis omnium monasteriorum eiusdem « ordinis » Praemonstratensis in Ordinem verum et proprie dictum, praeter navitatem abbatum Praemonstratensium, B. Hugonis praesertim, uti primi patris aliarum foundationum, et praesidis colloquiorum, factorem praecipuum invenimus in annuis colloquiis abbatum, quorum studiis versus unionem et uniformitatem Ordinis, efficaciam certe assistentia praebuit concurrens Pontificiae auctoritatis supremae.

6) Manifestum est Capitula generalia, inde ab aa. circ. 1140, competentiam crescentem sibi vindicasse, quoad personas, res et actiones integrum Ordinem respicientes ; actibus et decretis suis non solum, intra ipsum Ordinem, promovere intenderunt uniformitatem unitatemque disciplinae regularis, sed etiam ad extra strenue defendebat iura Ordinis, tum erga alios Ordines, cum in impetranda tutela supremae auctoritatis.

7) Exinde etiam constat character vere collegialis instituti, cuius membra omnes et soli abbates aequo iure sunt sive praepositi monasteriorum, praeses vero constitutus est abbas Praemonstrati, cuius sententia sanioris partis Capitularium adhaerens consilio, praevalere

quidem debet in casibus conflictus ; ideo tamen Capitulum non est merum Consilium abbatis Praemonstratensis, sed organum sui iuris, unicus depositarius supremæ auctoritatis, cui etiam obedire debet abbas Praemonstratensis.

8) Abhinc Capitulum generale revera constituit vinculum iuridicum Ordinis, supremum et efficax, quod unionem omnium monasteriorum eiusdem « ordinis » in verum et proprie dictum Ordinem efficit et organicum ac stabilem reddit. Hoc, praesertim tempore subsequenti conatu ad independentiam illimitatam variarum regionum probatur, quando, non obstantibus dispensationibus quoad obligationem generalem annuatim assistendi Capitulis, unitatem conservare potuit in essentialibus, absque scissione irreparabili.

H. MARTON, O. Praem.